

plurimos in re salutis fructus afferre quotidiana experientia amplissime docet<sup>1</sup>. Huius Confraternitatis leges ac statuta<sup>2</sup> borromoeanae traditionis ad instar in *Act. Eccles. Mediolanen.* videre est<sup>3</sup>, et quod eius sit munus paucis heic explicabimus, quo et catechesis tradendae practicam rationem indigitamus. Ad rem:

a) Omnes paroeciae pueri ac puellae a rationis usu [ut plurimum a 7<sup>o</sup>, nempe, anno] ad paroecialem catechismum, diebus constitutis discendum, conveniunt et quousque [nimirum quum religionis instructionem assequuti sint] eos Parochus dispenset, tum ad illum Parentes filios mittere, tum pueri ac puellae illi interesse tenentur.

b) Pueri a puellis, separato in loco et iuxta aetatem ac instructionis gradum, per classes distribuuntur, quibus tum sacerdos quilibet, tum [frequentius] *Doctrinae Christianae Congregationis* frater, vel [infantibus] soror praeficitur.

c) Statim ac catechizandi in Ecclesia conveniunt, suis in locis se constituunt, et tintinnabuli a Parocho signo dato, *Pater, Ave*, et *Credo* singulas iuxta classes simul cum condiscipulis, submissa voce recitant. Deinde a singulis alumnis, illius [diocesani, nationalis<sup>4</sup> vel romani] catechismi in praecedenti lectione ipsis adsignatae partis recitationem, catechista excipit, corrigit ac adjuvat. Antequam vero finis signum detur, quae memoriae singuli mandari debeant ipsis praescribit, de quo sequenti in lectione, rationem reddere tenentur. — Interim *Doctrinae Christianae* confrater vel sacerdos quilibet, alumnorum praesentiam vel absentiam dispicit; primam in libello singulis proprio adnotat, alteram in proprio, et postea in regesto ad hoc specialiter confecto transcribendam curat. — Universalis doctrinae vigilantia non tantum Parocho ac sacerdotibus, qui hinc inde per classes discunt, sed etiam *Doctrinae Christianae* Consociationis fratribus commissa est, qui omnia perlustrando, et pueros puellasque in silentio ac ordine continendo, parvas imagines aut numismata diligentioribus distribuunt.

d) Post dimidiam circiter horam, tintinnabulo a Parocho dato signo, alumni ac alumnae omnes una simul [sed iuxta sexum separati] conveniunt ut catechismi explicationem ac in eo inte rogationes a Parocho accipiant. Hic in vernacula lingua, omni cum simplicitate, pa-

<sup>1</sup> Cfr. Constit. de Urbis Vicariatu *Elsinos*, kal. jan. 1912, Sect. 4, n. 31.

<sup>2</sup> Cfr. Pius V, Constit. *Ex debiti*, 6 oct. 1571; SS. D. N. Pius PP. X, *Constit. Archisodalitatis Doctrinae Christianae* reformatae, in *Act. Pii X*, Vol. II, p. 206.

<sup>3</sup> Vol. II, p. 152 et seq.

<sup>4</sup> Pro Italia catechismus a SS. D. N. Pio PP. X. universim pro hac Natione statutum uti debet.

tientia ac praxiaudita dicenda, quae explicat, et opportunas admonitiones correctionesque audientibus praebet.

e) Expleta hora, cum fidei, spei, caritatis ac contritionis actuum et si quid aliud publica, lenta et perspicua recitatione, catechismo finis imponitur, et pueri puellaeque, ex ordine, Ecclesia discedunt. Borromaeana catechismi tradendi ratio, paucis, huc redit, quam, eo quod cum a *Doctrina Christiana Consociatione* a S. Carolo Borromaeo quam maxime exculta<sup>1</sup> unum sit, recolere necesse fuit. Attamen dummodo opportunum sit, alium ad rem adhiberi modum nil vetat; quae enim retulimus, non praecepti, sed exempli tantum ergo inuimus.

465. — Sed et alia ad rem recolenda veniunt, nimirum:

a) Ut his catechismi conventibus ordo in omnibus ac ab omnibus servetur omnino decet. Quapropter ne alumni hinc inde per diversas classes vagentur, ne invicem loquantur, ac disputationibus iniuriisque se dedant et ita porro, cavendum est.

b) Sed et catechistae adeo comiter et perhumaniter cum infantibus se habeant ut, eorum compatiendo aetati, ipsis paterne subveniant, quin redargutiones, castigationes et in minimis adhibeant, quo tantum, potiusquam a catechismo repellere, ad illum allicient. Manus vero lusus ac partialitates, iniuriae et percussiones nullae habeantur, et si quis puniendus esset, non ira, sed ex caritate id fiat.

c) Quod sublime at minime perspicue dictum sit nil catechistae proferant, sed patienter, vocabulis ac frasibus mutatis, ac infantium iuvantes memoriam, adeo iterum iterumque exponenda explicent, ut ea infantes percepisse ac cognovisse sciant. — Sed quae facilia dictu, adeo perquam difficulter, e contrario, ad praxim deduci possunt, ut hi qui in tradendo catechismo apta se habeant ratione, pauci inveniantur. Quapropter ille mos quo in *Superioribus Religionis Scholis*, una cum scientia, et ad rem modus traditur, ac de catechistae aptitudine habilitateque publico decernitur testimonio, numquam satius laudabitur.

d) Dum de gravi ad catechismum pueros puellasque mittendi obligatione, publice ac, si res postulat et privatim Parentes Parochus admonet, et absentiae causas ab ipsis disquirat, aemulationis argumentorum usum cum catechizandis ne omittat, quibus tantum, ut plurimum, ad huius instructionis comparandum finem apte consulitur. Sapientiores, igitur, alumnos ac alumnas inter, tum privata, tum [aliquoties in anno] publica certamina constituere, victores praemio

<sup>1</sup> Cfr. Gregorius XIII, brev. *Jesu Christi*, 30 oct. 1572.



coronare, et qui primus inter omnes excellit, *Doctrinae Christianae Imperatorem* proclamare, valde opportunum ac proficuum erit. — Semper vero Christianae Doctrinae publica praemiatio annua habeatur, in qua, [maiori qua fieri potest solemnitate] tum alumnorum sedulitas ac diligentia, tum de catechismo scientia ac peritia eorum ac Parentum magno cum gaudio, laudantur ac remunerantur.

466. — Ad alteram catechismi tradendi rationem quod refert, SS. D. N. Pii PP. X praescriptiones referre erit satis:

a) *Quoniam vero, hac praesertim tempestate, grandior aetas non secus ac puerilis religiosa eget institutione, Parochi universi caeterique animarum curam gerentes, praeter consuetam homiliam de Evangelio, quae festis diebus omnibus in parochiali Sacro est habenda, ea hora quam opportuniorem duxerint ad populi frequentiam, illa tantum excepta qua pueri erudiuntur, catechesim ad fideles instituant, facili quidem sermone, et ad captum accommodato*<sup>1</sup>.

b) *Qua in re Catechismo Tridentino utentur, eo utique ordine ut quadriennii vel quinquennii spatio totam materiam pertractent quae de Symbolo est, de Sacramentis, de Decalogo, de Oratione et de praeceptis Ecclesiae*<sup>2</sup>.

c) *Hoc catechistae munus est veritatem aliquam tractandam suscipere vel ad fidem vel ad christianos mores pertinentem, eamque omni ex parte illustrare: quoniam vero emendatio vitae finis docendi esse debet, oportet catechistam comparationem instituere ea inter quae Deus agenda praecipit quaeque homines reapse agunt; post haec, exemplis opportune usum, quae vel e Scripturis Sacris, vel ex Ecclesiastica historia, vel e sanctorum virorum vita sapienter hauserit, suadere auditores eisque, intento veluti digito, commonstrare quo pacto componant mores; finem denique hortando facere, ut qui adstant horreant vitia ac declinent, virtutem sectentur*<sup>3</sup>.

d) *Quod ut reapse vitetur, illud assidue commendatis et urgeatis oportet, ut Parochi ne imparati catechesis praeceptiones habeant, sed diligenti ipsius adhibita praeparatione; ut ne loquantur humanae sapientiae verba, sed, in simplicitate cordis et sinceritate Dei*<sup>4</sup>, Christi exemplum sectentur, qui quamvis *abscondita eructaret* a constitutione mundi<sup>5</sup>, loquebatur tamen omnia in parabolis ad turbas et sine parabolis non loquebatur eis<sup>6</sup>. *Id ipsum et Apostolos, a Domino institutos,*

<sup>1</sup> Encycl. cit.

<sup>2</sup> Id. Ibid.

<sup>3</sup> Id. Ibid.

<sup>4</sup> II. Cor. I, 12.

<sup>5</sup> Matth. XIII, 35.

<sup>6</sup> Ib. 34.

*praestitisse novimus; de quibus Gregorius Magnus aiebat: Curaverunt summopere rudibus populis plana et capabilia, non summa atque ardua praedicare*<sup>1</sup>. *Ad religionem autem quod attinet, homines magnam partem rudibus, hac tempestate nostra sunt accensendi*<sup>2</sup>.

e) Tandem ad catechismi explicationem exhibendam populo, quibusdam in locis, dialogicam formam adhiberi omnibus in comperto est; quae, dummodo debita servetur ratio, ad fidelium vividius percellendas mentes veritatemque efficacius illis suadendam, multum profecto confert. Sed appositam conditionem adverte quaeso; nam si tum ex *magistri*, tum ex *discipuli* parte, haud recte res se haberent, adiumenta, detrimenta non compensarent. Enimvero, si scurrilitatibus, sophismatibus, pertinacitati et similibus *discipulus* inserviret, et in obiectionibus solvendis impar *magister* extaret, potiusquam veritatem suscipere, errorem pervicacius fideles retinerent, et Dei domus decus reverentiaque grave detrimentum a sacerdotibus ipsis persentirent. Quapropter si in quibusdam synodalibus statutis, haec dialogica forma vetetur vel coartetur nil mirum.

467. — Tandem ad postremam tradendi catechismi rationem quod refert SS. D. N. Pii PP. X verba jubent: *Maioribus in urbibus, ibique praecipue ubi Universitates Studiorum, lycea, gymnasia patent, Scholae Religionis fundentur ad erudiendam fidei veritatibus vitaeque christianae institutis iuventam quae publicas scholas celebrat, ubi religiosae rei mentio nulla iniicitur*<sup>3</sup>. — Qua in re, quum diocesibus ac civitatibus singulis apta decernere Ordinarii tantum sit [cui, ex praeciso Apostolico praecepto, has *Religionis Scholas* inibi constituere officium est], ac quum ab Episcopis tantum discenda res sit, nil addere opportunius ducimus. Insuper unicuique dioecesi ac civitati peculiare industriae sunt, quae si negligantur, pastorales sollicitudines in cassum rediguntur. Ordinarii, igitur, de re dicant, ac quae ipsi decrevere, fidenti fidelique obsequio, ad praxim deducere animarum Pastores contendant. Nam *Religionis Scholarum* finis [una cum coeteris omnibus tradendi catechismi rationibus] tanti momenti res est, ut quacumque in re diligentia ac observantia nunquam satis existimari possit. Universae, enim, christianae vitae, immo et cunctae societatis salutem a catechismi agnitione et praxi quam maxime pendere adeo omnibus in comperto est, ut siluisse bonum.

<sup>1</sup> Moral. lib. XVII, cap. 26.

<sup>2</sup> Encycl. *Acerbo nimis*, cit.

<sup>3</sup> Encycl. cit. — Cfr. Eiusd. Encycl.

*Editae saepe*, 26 maj 1910; Deliberat.

*Episcop. Longobard.* 1905, et Eorund.

epist. 15 aug. 1905.



## § IV. — De cura iuventutis in genere.

SUMMAE RERUM. — 468. Quale et quantum Ecclesiae studium ac cura in re sint — 469. Nostrorum temporum difficillima condicio — 470. De boni Pastoris in re sollicitudinibus, ac primum de eius vigilantia eiusque partibus.

468. — Nil quam zelus atque divinus ardor quibus pia illa innocentis iuventutis Mater ac Magistra Ecclesia, christianae rei firmissima spes semper et ubique eius curam sedulo prosecuta est, magis innotescit ac splendet. Conditoris quidem sui praeclara illa verba: *Sinite parvulos venire ad me*<sup>1</sup> memoria tenens, ut tenellum illum hominum florem, ab omni vitiorum afflatu arceret, et ab omni erroris labe incolumem servaret, nullis unquam laboribus Ipsa perpevit. Hinc, iam ab Eius incunabulis, ut christianam iuventam, tum in scholis, tum extra scholas, rite erudiret atque educaret pie, impenso studio omnique nisu studuit. Gymnasia, enim, circumquaque excitavit ac amplissimis privilegiis auxit, et, per varios scholarum gradus, ad summum artium scientiarumque fastigium iuventutem evehere non dubitavit. Ex quibus praeclarissimis ac numquam satis laudandis Institutionibus, quam in civilem societatem, [atque proinde in Ecclesiam ipsam] uberrimi fructus redundarint, veridica saeculorum historia amplissime docet. Haec, inter alias, immaculata ac purissima Sanctae Ecclesiae gloria est, cui sempiternus honos ac laus in aevo insonet!

469. — At inter alia perquam luctuosa, ac numquam lugenda satis, perpetui humani generis hostis [qui, ab ipso mundi exordio, cum mulieris semine inimicitias exercet] illud maxime deplorandum est, quod dilectissimos Ecclesiae filios, ac Sanctam Eius spem, suo ex sacro fonte renatos, et [ob eorum innocentiam ac sanctitatem] Deo acceptissimos, ab Eius sinu et materno amplexu avellere contendat, et, ut de filiis hostes, de piis sanctisque, prophanos ac impios faciat, sua ad iniquissima castra transferre conetur<sup>2</sup>. Res numquam dolenda satis, quae omnimodas Pastorum omnium sollicitudines ac curas requirit, ne Christi Passionis pretium, vitaeque sanctae felices heredes, insatiabilium luporum faucibus miserrima praeda fiant. — At apparatus cum hostibus saepe luctandum

<sup>1</sup> Marc. X. 14.

<sup>2</sup> Cfr. Swoboda, *La Cura d'Anime* nelle grandi città, Roma 1911, Pars. III, IV. pag. 311; Leo XIII, Encycl. *Af-*

*fari vos.*, 8 dec. 1897; —SS. D. N. Pii PP. X, Encycl. *Editae saepe*, 26 maj 1910; *Deliberat. Episcop. Longobard.*, 1905, et Eorund. epist. 15 august, 1901.

est, qui, fere omni auctoritate in civili consortio pollentes eaque inique abutentes, in hoc [immo praesertim heic] sacrosanctum Ecclesiae ius spernentes immo et colludentes<sup>1</sup>, sanas in re ideas labefactantes et dominicum agrum foedantes, perfidissimas illas, nomine neutras, at, re et effectum, revera *atheas* scholas, fere ubique constituunt<sup>2</sup>, ac, libertatis specie, quidquid sanctam nostram religionem sapit adeo ab illis expellunt ac quidquid eam officit inibi inducunt, ut, falso scientiae nomen praetextentes, ad infandam libertatem [ne genuinam dicam licentiam] sacrosanctam Ecclesiae societatisque spem iuventutem, miserrime obruant. Hinc iuventutis institutionis proculcata libertas, quaecumque tricarum ratio in re Ecclesiae posita hinc, ac in Eius maternam operam versutissima inquisitio ac detractio, quibus iniqui malarum sectarum asseclae, Eius in iuventutem maternum studium, industrias ac magisterium impedire, coarctare ac perimere conantur!

470. — In tantis rerum angustiis quae a bono Pastore, ad praxim quod attinet, praestanda sint, difficile dictu profecto est, Eius, enim, in hac re opera [temporibus praesertim nostris ac complurimas apud Gentes] difficultatibus ac periculis tantis obruitur, ut quid praestare, quid vitare debeat, vix perspici suggerique possit. Attamen [ut propositi nostri ratio fert] praecipua quae ad rem faciunt sub silentio praeterire non licet. Quapropter in his omnibus [quaecumque tum quoad prophanas auctoritates, tum quoad personas ac locos peculiare conditiones sint] in primis et ante omnia, quam maxima Pastor utatur vigilantia, ne ex sua negligentia, spiritualium filiorum suorum aeterna salus in discrimine adduci possit. Idcirco:

a) Quae in familiis spiritualis puerorum cura ex Parentum parte<sup>3</sup> sit sedulo disquirat, quin tamen in eorum negotiis nullo modo nullaque ratione se ingerat, quod sane cavere pernecessarium. An, igitur, non corporibus tantum, sed et puerorum animabus Parentes consulant, an quotidianas preces ipsos edoceant ac eas recitare faciant, an ut ad catechismum et functiones sacras et similia liberi intersint Parentes curent dignoscat. Si, enim, hi proprio desint muneri, coeterae omnes extra familiam adhibendae industriae, ut plurimum, ad nihilum rediguntur, quod praesertim habetur quum contrariam agendi rationem Parentes ipsi colant, et, eo magis, filiis suadeant. *Omnino Parentes*

<sup>1</sup> Cfr. Syllab., 45-47.

<sup>2</sup> Cfr. S. Offic., 26 mart, 1866, 24 nov. 1875; Leo XIII, *Nobilissima Gallorum gens*, 8 febr 1884; *Militantis Ecclesiae*, 1 august, 1887.

<sup>3</sup> Cfr. Leo XIII, encycl. *Affari vos* et *Nobilissima Gallor. gens*. cit.; S. Thom. II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup> q. 10 a. 12.



*bonos curare oportet [ita Leo f. r. XIII monebat] ut sui cuiusque liberi quam primum sapere didicerunt, praecepta religionis percipiant, et ne quid occurrat in scholis quod fidem morumque integritatem offendant. Et ut ista in instituenda sobole diligentia adhibeatur, divina et naturalique lege constitutum, neque parentes per ullam causam solvi ea lege possunt<sup>1</sup>.*

b) Quae in paroeciae puerorum institutionis domus habeantur, in easdem, indirecta ratione, sedulo advigilet, et, ut quantum fieri potest christianae vitae praecepta inibi in honore sint curabit, et ad hoc suam vel Coadiutorum operam, iuxta Ordinarii mentem, libenter impendat.

c) Si vero de collegio, convictu, externatu et similibus eligendis paterfamilias quosdam ab eo consilium sciscitetur, ea tantummodo in quibus una cum doctrina, et mores ac religio in honore sunt, et, ut plurimum, ea tantum religiosi vel ecclesiasticis personis commissa, suggerat commendetque. De his vero quae municipiis vel Statui commissa sunt, quamvis e clero Rector sit et capellanus inibi habeatur, attamen, nisi aliter certo ipsi de re constet, diffidat: saepe nimis, enim, inibi ecclesiasticum nomen ac talaris vestis tantummodo ad fucum faciendum manent. *Necessariam christianam institutionem et educationem liberis suis impertire quotquot parentes negligunt: aut qui frequentare eos sinunt tales scholas in quibus animarum ruina devitari non potest; aut tandem qui, licet schola catholica in eodem loco idonea adsit, apteque instructa et parata, seu quamvis facultatem habeant in alia regione prolem catholice educandi, nihilominus committunt eam scholis publicis, sine sufficiente causa, ac sine necessariis cautionibus, quibus periculum perversionis e proximo remotum fiat: eos si contumaces fuerint [Pastores attendant quaeso] absolvi non posse in sacramento poenitentiae, ex doctrina catholica certum est<sup>2</sup>.*

a) Sed praesertim in pagi scholas Pastori advigilandum est, quum hoc eius peculiare muneris sit. Quapropter:

I) In primis et ante omnia, quis ludimagister sit, ac quomodo quoad religionem eiusque praxim se habeat, sedulo videat Pastor, ac, in quantum licet, provideat. Si, enim, hoc fulcro ipse careat, suarum industriarum omnium de puerorum christiana institutione aedificium, magno in discrimine constitueretur. Quapropter, bonam cum eo inire consuetudinem ac eius existimationem ac honorem in paroecianis tueri ac augere, ad rem plurimum iuvabit. Cum vero de eius electione agatur ut talis qui adeo bonis instructus moribus sit, et vitam immaculatam habeat ut iuventuti ac populo christiano, sine crimine, praelucere possit,

<sup>1</sup> *Nobilissima gallorum gens, cit.*

<sup>2</sup> *Instruct. S. Offic. 24 nov. 1875.*

eligatur, nisu omni contendat Pastor. Praesertim vero [dum leges civiles sinunt] ut in catechesi pueris edocendam fideliter ludi magister instet advigilandum quam maxime; quo fiet ut illa quoque quae traditurus est, diligenter addiscat, et magis magisque in ea proficere satagat.

II) In scholasticis libris sedulo invigilet Pastor, ne quid contra Ecclesiae mentem per puerorum manus versetur, quod [nostris praesertim temporibus] complurimis in locis facile haberi omnes sciunt. Si vero, quibusdam in adiunctis, hoc contingeret, posteaquam industrias ad rem opportunas adhibuerit, si minime proficeret, incriminatos libros ad Episcopum deferat, cui providendi ius ac grave munus inest.

III) Quae de puerorum institutione diximus, et de alia puellarum iteranda veniunt, in quo quum peculiare ac facile intelligendae difficultates habeantur, et peculiare industrias adhibere oportet, ne earum mens hodiernis ac ubique invalescentibus imbutae erroribus, et animarum quoque salus, magno in discrimine adducatur. Nam, in quantum rerum adiuncta ferunt, scholae mixtae [hae, nempe in quibus tum pueri, tum puellae eadem in aula, eodem sub ludimagistro conveniunt] ne permittantur; quod si fieri nequeat, eo magis magisque invigilentur: res, enim, plena periculi est. Dum vero licet, has religiosi committere, et praesertim ex illis selectis Institutis quae, adprobante Ordinario, iuvenili institutioni in pagis operam navant, securius praestantiusque erit. Si, enim, nostris praesertim temporibus, vere christianos laicos haberi magistros arduum, multo magis magistras quae, persaepe, in superioribus magisterii vel Universitatum scholis, materialistarum doctrinis imbutae, una cum malis ideis, haud aedificationi populo, ut plurimum, esse consuescunt. — Semper cum utriusque generis institutricibus perquam caute se habeat Pastor, ne quae in ipsis devitare intendit, in semetipso ullo modo ullaque ratione admittat, vel admittere in fidelibus suspicionem ingerat, et suum pastorale ministerium penitus confodiat.

IV) Dum licet, aliquoties saltem in anno, puerorum puellarumque scholas, uti Pastor ac Parochus, invisit, et quomodo res inibi se habeant, undequaque inspiciat cognoscatque. Praemiorum distributioni nunquam desit, ut ex sua praesentia, non tantum in litteris, sed et [in primis et ante omnia] in religione ac bonis moribus alumni incrementum adiumentumque accipiant.

V) Ad haec omnia facilius assequenda, ex scholarum consiliariis esse, et, eo magis, Inspectoris officium sibi adsciscere quam plurimum iuvabit, quo pastoralementem auctoritatem cum civili nectendo ac roborando, quae primae sunt munia ac debita, maiori virtute ac effi-



caria, urgere potest. Sed [quod numquam satis dolendum] complurimas apud Gentes, ecclesiasticas personas a quacumque in publicam instructionem ingerentia [omnino inique] propulsatas esse videmus, quo fit ut, publicis scholis indirecte tantum vigilare Pastor possit, et ad peculiare mox indigitandas industrias sollertius enixiusque recurrere debeat.

§ V. — De quibusdam peculiaribus quoad juventutem  
Pastori suadendis curis.

SUMMAE RERUM. — 471. Animadversiones praeviae. — 472. Quaedam in re pernecessaria recoluntur. — 473. De *Scholis Liberis, postscholasticis Operibus, Sacris Oratoriis, Recreatoriis, ac Consociationibus laicalibus et sportivis* constituendis excolendisque.

471. — Crucis Christi inimicorum audacia eo usque devenit ut, complurimas apud Gentes, non tantum a publica iuventutis institutione ac educatione Ecclesiam depulsaret, sed sacram unicuique civi, immo et Parentibus instituendorum natorum libertatem Statuslatriae immolaret, vel tam impudenter coarctaret tantisque talibusque nexibus nodisque eam obstringeret, ut vix remaneat operis. Attamen, dum quaedam adhuc nobis relinquitur libertas, ad [in quantum fieri potest] pergravissimo societatis christianae indoli occurrendum periculo, ut scholasticas piasque complurimas iuventutis Institutiones erigamus, ac nisu omni excolamus fortiterque tueamur, impensissimum adhibendum est studium. Hae, enim, iuventutis institutionis postremae salutis tabulae sunt, quas, ne christiana observantia miserrimum patiatur naufragium, apprehendere oportet.

472. — Sed, antequam ad peculiaribus deveniamus, quaedam in re praemittenda sunt quibus tantum [non ad diem vel ad speciem solum serviendo] hisce Institutionibus solidum praestituitur fundamentum, quo nutante, cum cleri, Ecclesiae, sacerdotalisque coetus bono nomine et instituendorum detrimento, apostolicae industriae ad nihilum redigerentur. Quapropter:

a) Pecunia opus est, qua carente nil in humanis perfici potest. Haec, igitur, non tantum ad has Institutiones condendas, sed et necessaria ad eas recte ac omnimode sustentandas, sedulo comparanda est, ne, mediis deficientibus, opus quoque collabescat, vel tam misere vivat, ut perennibus obnoxium angustiis ac difficultatibus, veluti con-

tinuo animam agere videatur. Quamvis enim, Divinae Providentiae fidere necessarium semper sit, attamen ne nimis, quo tantum prudentius Institutioni consulitur. Quapropter:

I) Pastores animarum omnes moneant fideles ut indefessa caritate, sive privatis donis, sive publicis pecuniae collectis, scholarum catholicarum necessitates sublevare satagant; ipsi vero in iisdem scholis promovendis omnem impendant operam. *Cum de fingenda probe adolescentia agitur, nulla opera potest nec labor suscipi tantus, quin etiam suscipienda maiora*<sup>1</sup>.

II) Item erronea opinio eos tantum ad sustinendam scholam teneri qui illuc hic et nunc pueros educandos habent, a fidelium animis omnino removeatur. Quin immo tot tantaque pro universa communitate ex bona adolescentium educatione commoda derivari, ut schola vere catholica publicae utilitati haud mediocriter conferat, persuasum omnibus sit.

III) Ubi vero proprias pecuniae contributiones sive catholicis, sive neutris scholis alendis pro lubitu impendere per civilem legem licitum sit, qui, scholis catholicis despectis, neutris favere non dubitent, quantum peccent fidelibus recolebit Pastor bonus.

b) Et homines ad rem apti quaerendi sunt; nam ad nihilum opes valent si hi qui eis, recta ratione, uti debent desiderantur. Sed hic opus, hic labor, in quo adeo Pastor se habere debet ut genuina adiumenta, non vero impedimenta, sibi iuventutisque comparet. Si, enim, tum vita, tum scientia proprio perarduo muneri impares Institutores sint, nil quam mali laici educatores erunt, quorum numerum augere profecto, dedecet. Nec in re perspicua ac, propter incommoda quae saepe nimis habentur, satis comperta, immorari oportet.

c) Sed si una simul coadunatis iuvenibus haud sedula impendatur vigilantia, peiora quam si solis sibi vel Parentibus permittantur contingant. Quapropter, quanta cum diligentia, prudentia ac caritate hi iuvenes semper, ubique, ac in omnibus advigilandi sint qui de recta iuventutis institutione aliqua pollent praxi, amplissime doceant. In re, igitur, nulli parcendum est curae, nulla diligentia omittenda, ne [cum Institutionis, Ecclesiae et fidelium scandalo] plura lugenda nimis comparentur, quae haud semel tantum contigisse novimus. Ab Ecclesiae hominibus plura quam a laicis, in hoc quoque, publicam opinionem requirere pro certo Pastor teneat; quo non tantum in disciplina, sed

<sup>1</sup> Leo XIII, Encycl. *Sapientiae christianae*, 10 jan. 1890.